



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

2 De Christo quantum ad vnionem humanæ naturæ cum diuina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

uidetur. Non enim potest esse actu in rerum natura aliquid non specificatum ad diuersas species indifferenter se habens. Quamuis enim intellectus concipiat animal non specificatum rationali, uel irrationali differentia, non tamen potest esse actu animal, quod non sit rationale, uel irrationale: unde secundum Philosophum, non est in genere, quod non est in aliqua eius specie. Vnaquaque uero quantitas specificatur per certam terminationem quantitatis, sicut multitudinis species sunt duo, & tria, & sic de aliis, & magnitudinis species sunt bicubitum & tricubitum, & huiusmodi, uel secundum aliquam determinatam mensuram: unde in possibile est sic inueniri aliquam quantitatem in actu, quod non sit propriis terminis limitata. Cum autem infinitum congruat quantitati, & dicatur infinitum per termini remotionem, impossibile erit infinitum esse in actu: pro quo dicit Philosophus in 3. Physic. quod infinitum est sicut materia nondum specificata, sed sub priuatione existens, & quod se habet magis in ratione partis & contenti, quam totius & continentis, & ideo sicut Deus non potest facere equum rationale, ita non potest facere ens actu esse infinitum.

7e.com. 57.

Vnde primum concedimus, quia uerum concludit, quamuis non recte concludat, eo quod si ponatur Deum facere aliquid infinitum secundum unum modum, adhuc potest aliquid infinitum facere in alio ordine, sicut si posset facere infinitos leones, infinito enim non est aliquid maius in illo ordine quo est infinitum: sed secundum alium ordinem nihil prohibet aliquid esse aliud maius infinito, sicut numeri pares sunt infiniti, & tamen numeri pares & impares simul accepti sunt plures numeris paribus.

Ad illud uero quod in contrarium obijcit dicendum, quod uerbum intellectus non solum dicitur quod profertur, sed quod mente concipitur: quod autem sibi ipsi est repugnans, mente concipi non potest, quia nullus potest intelligere contradictoria esse simul uera, ut probatur in 4. metaph. unde cum esse infinitum repugnet ei quod est esse actu, hoc non est uerbum, unde non est infinitum in actu, & ideo non sequitur quod sit Deo possibile. Philosophi autem qui posuerant infinitum esse in actu, propriam uocem ignorauerunt.

QVÆSTIO II.

DEINDE quærebatur de Christo quantum ad unionem humanæ naturæ cum diuina.

Et circa hoc quærebantur tria.

- ¶ Primo, Vtrum in Christo sit una hypostasis trinitatis.
- ¶ Secundo, Vtrum sit in eo unum tantum esse.
- ¶ Tertio, Vtrum sit in eo una tantum filiationis.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Christo sint plures hypostases.

ar. c. 6. & ad 1. & 3. p. q. 2. a. 3. o. & ar. 6. & n. c. & vn. 20. & opus 3. cap. 28. e.

AD PRIMUM sic proceditur. Videtur, quod in Christo sint plures hypostases. Vnio enim animæ ad corpus præsupponitur ad assumptionem, quia Christus humanitatem, siue humanam naturam assumpsit, quæ cum sit forma totius, dicitur aliquid compositum ex anima & corpore: sed anima & corpus unita faciunt hypostasis hominis. ergo hypostasis in humana natura præintelligitur assumptioni: sed omne quod præintelligitur assumptioni, potest dici esse assumptum. ergo hypostasis uerbi assumpsit hypostasis hominis, & sic

A sunt duæ hypostases in Christo.

¶ 2. Præter. Corpus quod præintelligitur assumptioni est assumptibile: sed corpus non est assumptibile nisi ut unitum animæ rationali, non enim dicitur corpus inanimatum esse assumptibile. ergo unio animæ & corporis præintelligitur ad assumptionem humanæ naturæ, & sic idem quod prius.

¶ 3. Præter. Medium unionis præsupponitur ad unionem: sed gratia est medium unionis humanæ naturæ ad diuinam personam, unde dicitur gratia unionis. ergo præsupponitur ad unionem: gratia autem non potest intelligi nisi in anima, anima autem non intelligitur esse antequam corpori uniatur, quia creando infunditur, & infundendo creatur. ergo oportet præintelligi unionem animæ cum corpore ad unionem humanæ cum diuina, & sic idem quod prius.

¶ 4. Præter. Humanitas est quædam forma substantialis: omnis autem forma substantialis requirit aliquid quod per ipsam informetur, non autem potest dici quod hypostasis, uel suppositum æternum informetur per aliquam formam creatam. ergo oportet in Christo ponere aliquid suppositum, uel hypostasis creatam, quæ humanitate informetur, & sic in Christo erunt duæ hypostases, hypostasis scilicet uerbi, & hypostasis hominis.

C SED CONTRA. Ea quæ sunt aduicem disparata, non predicantur de se inuicem, nisi per hoc quod conueniunt in uno supposito, sicut dicimus, quod album est dulce pro unitate subiecti: sed diuina natura & humana sunt naturæ penitus disparatæ, predicantur autem de se inuicem in concreto, dicimus enim, Deus est homo, & homo est Deus. ergo est ibi unum suppositum tantum, & una hypostasis. Si dicatur, quod predicantur de se inuicem pro hoc quod conueniunt in una persona, non per hoc quod conueniunt in uno supposito, uel hypostasi una, sicut dicimus album est dulce.

Contra, Persona non addit supra hypostasis, uel suppositum nisi aliquid accedens, si proprietatem ad dignitatem pertinentem. si ergo in Christo esset una persona, & non unum suppositum, uel hypostasis, diuina natura, & humana essent in ipso unite solum in accidente, quod falsum est.

D RESPON. Dicendum, quod secundum opinionem secundam, quam magister in 6. dist. tertij libri sententiarum ponit, quæ est eorum opinio modernorum, & alijs multo uerior & securior, in Christo est unum suppositum tantum, & una tantum hypostasis, sicut & persona una. Oportet namque nos secundum doctrinam fidei ponere unam rem subsistentem in duabus naturis, diuinam, scilicet & humanam, alias non posset dici, quod unus esset dominus Iesus Christus secundum sententiam Apostoli. ad Cor. 8. Vnde, & Nestorius fuit damnatus propter hoc, quod Christum præsumpsit diuidere, duas introducens personas. Illud autem quod est subsistens in natura, est aliquid indiuiduum & singulare. Vnde unitas Christi, in qua due nature uniuertur, attribuitur da est alicui nomini pro quo singularitas designatur. Nominum autem que singularitatem designant, quodammodo significant singulare in quolibet genere entis, sicut hoc nomen singulare, & particulare, & in diuiduum, quia hæc albedo est quoddam singulare, & particulare, & indiuiduum: nam uniuersale & particulare circumueit omne genus. Quædam uero significant singulare solum in genere substantiæ, sicut hoc nomen hypostasis, quod significat indiuiduam substantiam: & hoc nomen persona, quod significat substantiam indiuiduam rationis naturæ, & similiter hoc nomen suppositum, uel res naturæ, quorum nullum de hac albedine

potest predicari, quamvis hæc albedo sit singularis, eo quod unum quodque eorum significat aliquid ut subsistens: accidentia vero non subsistunt. Partes vero substantiarum quamvis sint de natura subsistentium, non tamen per se subsistunt, sed in alio sunt, unde etiam prædicta nomina de partibus substantiarum non dicuntur. Non enim dicimus quod hæc manus sit hypostasis, vel persona, vel suppositum, vel res natura, quamvis possit dici quod sit quoddam individuum, vel particulare, vel singulare, quæ nomina de accidentibus dicuntur: non autem potest dici, quod humana natura in Christo, vel aliqua pars eius sit per se subsistens. Hoc enim unioni repugnet, nisi poneremus unionem in quid, & non simpliciter: sicut unioitur lapides in ægro, vel duo homines per affectum amoris, vel per aliquam imitationis similitudinem, quæ omnia dicimus esse unum secundum quid, & non simpliciter. Quod non est simpliciter unum & per se subsistens nihil continet actu per se subsistens, sed forte in potentia, unde servata veritate unionis naturarum in Christo, oportet ponere sicut unam personam, ita unam hypostasim, & unum suppositum, & unam rem duarum naturarum: sed ipsam humanam naturam in Christo nihil prohibet dicere esse quoddam individuum, aut singulare, aut particulare, & similiter quaslibet partes humanæ naturæ, ut manus, & pedes, & ossa, quorum quodlibet est quoddam individuum, non tamen quod de toto predicatur: quia nullum eorum est individuum per se subsistens, sed individuum per se subsistens, vel singulare, vel particulare, quod predicatur de Christo est unum tantum. Unde possumus dicere in Christo esse plura individua, vel singularia, vel particularia; non autem possumus dicere Christum esse plura individua, vel singularia, vel particularia, sed plures hypostasies, vel supposita non possumus dicere in Christo esse.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod ex unione anime & corporis constituitur & homo, & humanitas, quæ quidem duo hoc modo differunt, quod humanitas significatur per modum partis, eo quod humanitas dicitur, quia homo est homo, & sic præ se significat essentialia principalia speciei, per quæ hoc individuum in tali specie collocatur, unde se habet per modum partis, cum præter huiusmodi principia multa alia in rebus nature inveniuntur: sed homo significatur per modum totius. Homo enim dicitur habens humanitatem, vel subsistens in humanitate sine præcisione quorumcumque aliorum supvenientium essentialibus principijs speciei: quia per hoc quod dico, habens humanitatem, non præcitur qui habet colorem, & quantitatem, & alia huiusmodi. Secundum ergo secundam opinionem prædictam unioni humanæ naturæ ad divinam præsupponitur unio anime & corporis secundum quod constituit humanitatem, non secundum quod constituit hominem. Illud enim quod in Christo est constitutum ex anima & corpore tamen quod unione præsupponitur, non est totum quod per se subsistit, sed aliquid eius, & ideo non potest signari, ut homo, sed ut humanitas: unde oportet dicere, quod in ipsa unione humanæ naturæ ad divinam quasi in termino assumptio, intelligatur primo in Christo non hominis, quia tunc in primo intelligitur ut res per se subsistens completa, & in hoc differt ab aliis duabus opinionibus. Nam prima opinio ponit, quod unio anime ad carnem præsupponitur, sed intellectum assumptioni humanæ naturæ, non secundum solum hoc quod constituit humanitatem, sed et secundum quod constituit hominem, dicitur enim hominem esse

assumptum. Tertia vero opinio ponit, quod nec in termino assumptionis intelligitur anima corpori unita nec ad constituendum hominem, nec ad constituendam humanam naturam dicitur enim humanam naturam summi multipliciter, per partibus eius, anima & corpore, cum dicamus humanam naturam assumptam a verbo ut patet, quod nec vere dicitur Christum esse hominem, nec vere ponitur humanam naturam in Christo, & ideo est tanquam hæretica condemnata.

AD SECUNDVM dicendum, quod corpus unitum anime præintelligitur assumptioni humanæ naturæ. Unitum autem dico unione constitutive humanitatem, non autem unione constitutive hominem.

AD TERTIVM dicendum, quod gratia habitualis non intelligitur, ut medium unionis, quod secundum intellectum præcedit unionem: nec est medium quod causat unionem, vel unitivatem, sed medium quod facit ad congruitatem unionis, sicut decora velis facit ad congruitatem conjunctionis matrimonialis. Et similiter scientia & omnes alie perfectiones Christi possent dici medium unionis, & pro tanto gratia habitualis Christi potest dici gratia unionis. Verius tamen patet, quod gratia unionis dicitur vel ipsa gratuita Dei voluntas, quæ gratis nullis meritis præcedentibus unionem fecit, vel potius ipsum donum gratis datum humanæ naturæ, quod est esse in divina natura. Si tamen anima unita corpori præintelligatur ad assumptionem, solvendum est ut prius.

AD QUARTVM Dicendum, quod humanitas non est forma partis quæ dicitur forma quia informat aliquam materiam, vel subiectum, sed est forma totius, in qua suppositum naturæ subsistit: unde non oportet ponere quod hypostasis increata informetur humanitate, sed quod subsistit in ea.

ARTICVLVS III.

Utrum in Christo sit unum tantum esse.

AD SECUNDVM sic proceditur. Videtur quod in Christo non sit unum tantum esse. Vnde dicitur secundum Philosophum in 2. de anima uentibus, quod est esse in Christo non est tantum unum uerbo, sed est esse duplex sit in eo uita, creata scilicet uita, quæ uult corpus per animam, quæ morte priuatur: & uita increata, quæ uiuit per seipsum, ergo nec in Christo est tantum unum esse.

¶ 2. Præ. Sicut esse est suppositi, ita & opatio: sed unitas suppositi non facit quin in Christo sint plures operationes, ergo nec faciet quod in Christo sit tantum unum esse.

¶ 3. Præ. Generatio est mutatio ad esse in Christo est quædam generatio temporalis de qua Math. Christi autem generatio sic erat, quæ non potest terminari ad esse æternum, ergo terminatur ad aliquid esse temporale & æternum, ergo in Christo est duplex esse, cum in ipso maxime sit esse increatum.

¶ 4. Præ. Vnicuique est attribuendum esse, de quo conuenienter queri potest, an est: sed de humana natura potest queri, an est, ergo humana natura hæc esse proprium in Christo, & sic est in eo duplex esse, cum sit humana natura esse habeat.

SED CONTRA. Quæcumque sunt distincta in esse, sunt in supposito distincta: sed in Christo est unum tantum suppositum, ergo & unum tantum esse.

RESPON. Dicendum, quod esse dupliciter dicitur, ut patet per philosophum in 5. met. & in quadam glo. Orig. super principium Ioan. Vno modo, secundum quod est copula uerbalis significans compositionem cuiuslibet enuntiationis, quæ manna facit, unde hoc esse non est aliquid in se

D. 729.

G

H

K

rum natura, sed tantum in actu animæ componē-
tis & diuidentis, & sic esse attribuitur omni ei de
quo potest propositio formari, siue sit ens, siue pri-
uatio estis: dicimus enim cæcitate esse. Alio mo-
do esse dicitur actus entis in quantum est ens, id-
est, quo denominatur aliquid ens actu in rerū na-
tura, & sic esse non attribuitur nisi rebus ipsis, que
in decem generibus continentur, unde ens a tali
esse dictum per decem genera diuiditur: sed hoc
esse attribuitur alicui dupliciter. Vno modo, ut si-
cut ei quod proprie, & vere habet esse, uel est, &
sic attribuitur soli substantiæ per se subsistenti, vn-
de quod uere est, dicitur substantia in 1. phys. Om-
nia uero quæ non per se subsistunt, sed in alio, &
cum alio, siue sint accidentia, siue formæ substan-
tiales, aut quælibet partes non habet esse, ita ut ip-
sæ uere sint, sed attribuitur eis esse. Alio modo, i-
ur quo aliquid est, sicut albedo dicitur esse, non quia
ipsa in se subsistat, sed quia ea aliquid habet esse albū.
Esse ergo proprie & uere non attribuitur nisi rei per
se subsistenti, huic aut attribuitur esse duplex. Vnū
scilicet esse relutans ex his, ex quibus eius unitas
integratur, quod propriū est esse suppositi substan-
tiale. Aliud esse est supposito attributum præter ea
quæ integrant ipsam, quod est esse superadditum,
scilicet accidentale, ut esse album attribuitur Sorti
cum dicitur, Sortes est albus. Quia ergo in Christo po-
nimus unam rem subsistentem tantum, ad cuius in-
tegritatem concurrunt etiam humanitas, quæ unum
suppositum est utriusque nature, ideo oportet di-
cere quod esse substantiale, quod proprie attribuitur
supposito in Christo, est unum tantum, habet aut
unitatem ex ipso supposito, & non ex naturis. Si ta-
men ponatur humanitas a diuinitate separari, tunc
humanitas suum esse habebit aliud ab esse diuino.
Non enim impeditur quia proprium esse haberet, ni-
si hoc quod non erat per se subsistens, sicut si arca
esset quoddam individuum naturale ipsa tota non
haberet nisi unum esse, quælibet tamen partium eius
ab arca separata proprium esse habebit. & sic patet
quod secundum opinionem secundam oportet di-
cere quod in Christo est unum esse substantiale, secundum
quod esse est suppositi proprie, quæuis sit in eo mul-
tiplex esse accidentale.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod uiuere dicitur esse
quoddam specificatum per speciale essendi prin-
cipium, & ideo diuersitas uitæ consequitur diuer-
sitate principiorum uiuendi, sed magis respicit
ad suppositum subsistens.

AD II. dicendum, quod operatio suppositi non est
de integritate unitatis eius, sed consequitur eius
unitate, unde unius suppositi inuenimus multas
operationes secundum diuersa operationum prin-
cipia, quæ supposito insunt, sicut homo aliud opera-
tur lingua & manu: sed esse est id in quo funda-
tur unitas suppositi, unde esse multiplex præiudicat
unitati essendi.

AD III. dicendum, quod generatio temporalis
terminatur non ad esse suppositi eterni, ut sim-
pliciter per eam esse incipiat, sed quod incipiat esse
suppositum habens illud essentia suppositi huma-
næ nature.

AD QVARTVM dicendum, quod obiecto illa præ-
cedit de esse quod in actu animæ consistit, quia an
est, etiam de cæcitate queri potest.

ARTICVLVS III.

Verum in Christo sit tantum una filiatio.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod in
Christo non sit nisi una filiatio. Multiplicata. n.

A causa multiplicatur effectus; sed natiuitas est causa
filiationis. ergo cum in Christo sint duæ natiuita-
tes, erunt etiam duæ filiationes.

¶ 1. Præ. Impossibile est idem similiter manere, &
corrupti: sed supposito quod beata Virgo ante
Christi mortem mortua fuisse, corrupta esset filia-
tio, quia filius matris dicebatur, maneret tamen fi-
liatio æterna, quæ diceret filius patris, ergo alia filia-
tione dicitur Christus filius patris, & alia filius matris.

Sed diceret, quod est alius respectus, sed non alia
filiatio. Contra Filius est relatiuum secundum esse
& non tantum secundum dici: sed hominū modi rela-
tiua secundum Philosophum in præd. camētis, sunt
quorum esse est ad aliud se habere. ergo esse filia-
tionis est esse respectus quo refertur ad aliud, & ita
si sunt plures respectus, sunt plures filiationes.

¶ 3. Præ. In relatione nihil inuenitur nisi respectus
& causa, siue fundamentum respectus, sicut unitas
quantitatis est fundamentum relationis, quæ est æ-
qualitas; sed respectus sunt diuersi, quibus Christus
refertur ad patrem & matrem, fundamenta enim
horum respectuum, siue causæ, sunt diuersæ, scilicet ipse
natiuitates, nam filiatio est relatio originis. ergo
sunt plures filiationes in Christo.

SED CONTRA. Filiatio est relatio persona-
lis, sed in Christo est una tantum persona. ergo una
tantum filiatio.

C. RESPON. Dicendum, quod in Christo est una tan-
tum filiatio secundum rem, quamuis sint plures
respectus relatiui secundum rationem.

Ad cuius euidentiam sciendum est, quod in hoc
differt ad aliquid ab aliis generibus, quod alia gene-
ra ex propria sui ratione habent quod aliud sint, si-
cut quantitas ex hoc ipso quod est quantitas, aliqd
ponit, & similiter est de aliis: sed ad aliquid ex pro-
pria sui generis ratione non habet quod ponat ali-
quid, sed ad aliquid, unde inueniuntur quedam
ad aliquid, quæ nihil sunt in rerum natura, sed in
ratione tantum, quod in alijs generibus non cōtin-
git: & quamuis aliquid ex ratione sui generis non
habeat quod ponat aliquid, non tamen etiam habet
ex ipsa generis ratione quod nihil ponat, quia
sic nulla relatio esset aliquid in rerum natura, unde
ad aliquid non esset vnū de decem generibus, ha-
beret autem relatio quod sit aliquid reale, ex eo quod
relationem causat. Cum enim in aliquo inuenitur
aliquid reale, per quod alterum dependeat & com-
paretur, tunc dicimus realiter comparari, uel de-
pendere, uel referri, sicut æqualitas relatio realis po-
nitur ex uirtute quantitatis, quæ æqualitatem causat.
Quia uero ex eodem res habet esse & unitatem,
ideo realis unitas relationis pensanda est ex ipso
relationis fundamento, uel causa, ut quia una est
quantitas, per quam pluribus sum equalis, in me
non est nisi una relatio realis æqualitatis habens re-
spectum ad plures.

Similiter, quia una natiuitate ex patre & matre
genitus fuit, una filiatione reali dicitur filius utrius-
que, quamuis multiplicentur respectus: sed in Chri-
sto non possumus dicere unam causam esse filia-
tionis, secundum quod refertur ad patrem, & ma-
trem, cum sint duæ natiuitates penitus disparatæ;
unde si esset aliquid quod filiationem tempore-
lem posset recipere quasi subiectum, oporteret
ponere in Christo plures filiationes. Nunc autem
filiatio est talis relatio, quæ non potest habere
pro subiecto nisi ipsum suppositum: in Chri-
sto autem non est nisi suppositum æternum,
quod quidem non potest esse subiectum alicuius
Quo dicitur S. Tho. H 4 tem-

Te. com. 17.

Art. 2. & 3. p. 1.
155. n. 5. o.

temporalis relationis. Quæcunque enim relationes temporales de aliquo æterno dicuntur, sunt relationes rationis, & non rei: unde filiatio, quæ Christus refertur ad matrem, non est realis relatio, sed rationis tantum, sicut & cætera quæ dicuntur de Deo ad creaturas. Non enim potest dici quod subiectum filiationis sit suppositum æternum, ratione humanæ nature, vel alicuius partis eius, sicut dicitur suppositum in mortis, vel passionis: quia sic ipsa humana natura, vel pars eius, esset primum subiectum filiationis, & denominaretur per ipsas, sicut contingit & de aliis accidentibus, quæ attribuntur Christo ratione humanæ nature. Filiatio vero nunquam denominatur nisi ipsum suppositum, nec potest aliud pro subiecto habere. Nihil tamen prohibet aliquas reales relationes inesse Christo ad Virginem, sicut cum dicimus, corpus Christi est originatum ex Virgine: sed ista relatio non habet rationem filiationis, nisi poneremus secundum primam opinionem, suppositum æternum esse aliud in Christo a creato.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod ex natiuitate temporalis non innascitur filiatio realis, sed rationis tantum, quamuis Christus realiter sit filius Virginis: sicut Deus realiter est Dominus creature, quamuis in eo Dominum non sit relatio realis. Dicitur enim realiter Dominus propter realem potestatem, & sic dicitur Christus realiter filius virginis propter realem natiuitatem.

AD SECUNDVM dicendum, quod respectus relationis dependet ex termino ad quem aliquid refertur, & ideo destructo termino, respectus aufertur, sed tamen filiationis realis ad patrem remanet in Christo, etiam supposita morte matris.

AD TERTIVM dicendum, quod in illa philosophi descriptione, esse ponitur pro ratione essendi, secundum quod definitio dicitur realis secundum genus, quod est esse: unde non oportet quod habeat esse relatio ex respectu, sed ex causa respectus: ex respectu vero habet propriam rationem generis, vel speciei.

AD QVARTVM dicendum, quod quamuis sit respectus filiationis diuersus, & causa filiationis diuersa, sed tamen filiationes non possunt esse duæ, ratione iam dicta.

QVÆSTIO III.

ARTICVLVS V.

Utrum in Christo sint accidentia sine subiecto.

ar. a. c. & 3.
di. 8. ar. 5. ad
2. & ar. 225.
183.
3. p. q. 75. ar.
5. o. & q. 70.
2. 1. o. & 4. d.
11. q. ar. 9.

DEINDE queritur de Christo quantum ad species, sub quibus in sacramento altaris constituitur, utrum scilicet sint ibi accidentia sine subiecto: & uidetur quod non. Deus enim non potest facere contradictoria esse simul, uera: hoc autem esset, si ab aliquo remoueretur id quod est de sua definitione, cum ergo in definitione accidentis cadat esse in subiecto, quia accidentis esse est inesse, uidetur quod Deus non possit facere accidentia sine subiecto.

¶ 2. Præterea de eodem predicatur definitio & definitio, sed ens per se est definitio, vel descriptio substantiæ. Si ergo in sacramento altaris accidentia sunt per se non in subiecto, sequitur quod sint substantiæ, quod est absurdum.

¶ 3. Præterea, ex accidentibus non potest generari substantia: sed uideamus ex illis speciebus generari uermes & cineres, quod constat non generari ex corpore Christi, ergo accidentia non sunt ibi sine subiecto.

Sed diceret, quod generantur miraculose. Sed contra. Miracula ordinantur ad edificationem fidei: sed est scandalum, quod uermes exinde generentur, ergo non fit miraculose.

¶ 2. Præterea in sacramento altaris nihil debet esse inordinatum: sed contra ordinem quem Deus rebus impoluit, est accidens esse sine subiecto.

SED CONTRA. Sensus non decipitur in proprio sensibili, secundum Philosophum in 2. de anima: sed sensus iudicat sibi esse colorem, & saporem, & alia huiusmodi, ergo hæc accidentia sunt uere ibi, non autem sunt in corpore Christi sicut in subiecto, nec iterum in aere, cum neutrum sit natura effecti talibus accidentibus, ergo accidentia sunt ibi sine subiecto.

RESPON. Dicendum, quod accidentia sunt ibi sine subiecto, quod qualiter esse possit, hinc considerandum est, quia in omnibus causis ordinatis, secundum Philosophum in libro de causis, prima causa uehementius imprimitur in causam causam secundam, quam etiam causa secunda, unde fit ut causa prima non retrahat operationem suam ab effectu, & postquam causa secunda retraxit, ut dicitur ibidem in commento. Vniuersalis autem causa & prima omnium entium Deus est, non solum substantiarum, sed etiam accidentium. Ipse enim est creator substantiarum & accidentis, sed etiam procedunt ex eo quodam ordine. Nam mediis substantiæ principis accidentia producantur, unde secundum naturam ordinem accidentia a principis substantiæ dependent, ut sine subiecto esse non possint, tamen per hoc non excluditur, quin Deus quasi causa prima possit a accidentia in esse seruare substantiam remotam, & per hunc modum accidentia miraculose sunt in sacramento altaris sine subiecto, uirtute scilicet diuina ea tenentia esse.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod cum dicitur, Accidentis esse, est in esse, vel qualitercumque ponat subiectum in definitione accidentis, intelligitur esse definitio per additionem, ut probatur in 7. me. cap. Et dicitur aliquid, quod est extra essentiam definitionis, sicut natus ponitur in definitione simi, hoc autem est propter naturalem dependentiam accidentis a subiecto, sed hoc non impeditur Deus potest accidentia sine subiecto conseruare, nec tamen sequitur contradictoria simul esse uera, quia subiectum non est de substantia accidentis.

AD II. dicendum, quod secundum Auicennam suam metaphysicam esse non potest poni in definitione alicuius generis & speciei, quia omnia particularia uniuersum in definitione generis, vel speciei, cum tamen genus, vel species non sint secundum unum esse in omnibus, & ideo hæc non est uera definitio substantiæ. Substantia est quod per se est, vel Accidentis est quod est in alio: sed est circuli locutio ueræ descriptionis, quæ talis intelligitur, Substantia est res, cuius nature debetur esse non in alio: Accidentis uero est res, cuius nature debetur esse in alio. Unde patet quod quamuis accidentis miraculose sit non in subiecto, non tamen pertinet ad definitionem substantiæ. Non enim per hoc eius nature debetur esse non in alio, nec egreditur definitionem accidentis, quia adhuc natura eius remanet talis, ut ei debeatur esse in alio.

AD III. dicendum, quod de his quæ generantur ex speciebus, ut uermibus, uel cineribus, aut aliquibus huiusmodi, sunt duæ opinioniones magis probabiles, quarum una est,